

abjicite mores illos tam injurios mihi, vestro nomini tam alienos; & dignos tandem Religione, quam colitis, sensus induite.

## ARTICULUS V.

## De Sustainatione, Apostrophi, Emphasi.

Quid est Sustainatio?

R. Est Figura, qua diu suspenduntur Auditorum animi, donec aliquid inexpectatum, sive risu, sive admiratione dignum subjiciatur.

Hinc Figura hujus duplex est usus, alter in rebus magnis & insolitis facinoribus exponendis; alter in rebus quibusdam levioribus; quando jocandi causa magnum aliquid promittit Orator, illudque tandem in jocum aliquem recidit. Hic agimus potissimum de Sustainatione, qua in rebus magnis ac seriis adhibetur.

Habes illustre Sustainationis exemplum 7. Ver. num. 10. & 11. Res delata ad istum statim, us par fuit, jussu ejus homines, qui nominati fuerant, comprehensi adductique Lilybaeum: domino denunciatum est, ut adesset, causa dicta damnata sunt. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse aut pradam expectatis aliquam? Nolite usquequaque eadem querere: in metu belli, furandi locus quis potest esse..... Etiamnum mihi expectare videmini, Judices, quid deinde factum sit; quod iste nihil unquam fecit sine aliquo quaestu atque prada. Quid in ejusmodi re fieri potuit? quod commodum est? Expectate facinus quam vultis improbum: vincam tamen expectationem vestram; nomine sceleris conjurationisque damnati, ad supplicium traducti, ad palum alligati repente multa hominum millibus inspectantibus soluti sunt, & Leonida illi domino redditi.

Et Phil. 2. num. 12. Quid putem contemptum me? Non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quod despicere possit Antonius. An in Senatu facillime de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis Civibus, bene gesta Reipublicae testimonium multum, mihi uni conservata dedit? An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est? quid enim plenus, quid uberius, quam mihi, & pro me, & contra Antonium diceret? Illud profecto est: non existimavit sui similibus probari posse, se esse hostem patriae, nisi mihi esset inimicus.

Hac porro Figura multam vim habet & gratiam, cum ita suspenduntur Auditorum animi, allatis multis rebus, iidemque rejectis, ut subjiciatur tandem novum aliquid & minime expectatum; quod in laudato mox loco videre est.

Habes alia Sustainationis exempla pro Rosc. Amer. num. 39. pro Quintio num. 66. 3. Ver. 141. 4. Ver. 106. 3. in Rul. num. 11. pro Dejotaro num. 26.

Quid est Apostrophi seu Retinencia?

R. Est Figura, qua Oratio interciditur & interruptitur, alicujus gravioris affectus significandi gratia. Ita Cicero Epist. 21. ad Atticum Lib. 7. de Pompejo loquens, cujus salutem metuebat, utitur Apostrophi. De Pompejo scio nihil, eumque nisi in navim se contulerit, exceptum iri puto. O celeritatem incredibilem! hujus autem nostri, sed non possum accusare eum; de quo angor & crucior..... retinet tarditatem aut ignaviam.

Et Epistola ultima Lib. 9. ad eundem.

dem Atticum, utitur Apostrophi dissimulanda indignationis gratia. Sed erit immixtissimus Servius, qui filium misit ad affligendum Cn. Pompejum, aut certe capiendum. Etsi hic quidem timoris causam; ille vero.... sed stomachari desinamus.

Adhibetur etiam nonnumquam, ut, quod reticeretur, majus quidpiam suspicandi det causam, quam si efferretur. Cicero pro Caelio n. 69. Fide etiam miramur, si illam commentitiam pyxidem obscenissima sit fabula consecuta. Nihil est quod in ejusmodi mulierem cadere non videatur. Audita & per vulgata & celebrata sermonibus res est. Percipitis animis, Judices, jamdudum quid velim, vel potius quid nolim dicere: quod etiam si est factum, certe a Caelio non est factum.

Potest etiam dici praetermissum illud a Cicerone vitanda obscenitatis causa.

Quid est Emphasi?

R. Est Figura, qua Orator plus significat, quam dicit. Quae quoniam refertur ad Hyperbolem, de qua jam diximus, pluribus hic supersedebimus.

## EXERCITATIO.

Amici opes viri Principis.

Per Sustainationem, Apostrophi, Emphasim.

## SYNOPSIS.

Exord. & Prop. Dicit nihil esse oportere pretiosius Viro Principi, quam amicos.

Rationem afferet; quia rebus omnibus abundat, qui amicos paravit, eisdem qui caret, omnium egenus est.

Confirmatio. Petetur ab Alexandri Magni auctoritate, qui venientibus ad se Persarum Legatis, & Alexandri thesauros videre cupientibus, circumstantes amicos

Lo Jay, Tom. I.

ostendens, dixit: En opes Alexandri. Tractabitur hic locus per Sustainationem & Emphasim.

Concludet in amicis veras esse divitias, quas nulla fortunae mutabilitas auferre possit.

## ORATIO.

Extollant alii per me licet, & quantum volent, praedicent magnificentius in Principibus viris ingentia auri argentique pondera, pretiosam supellectilem, superba palatia; eoque ditissimos arbitrentur, qui rebus istis omnibus abundant. Ego certe opulentissimum inter ceteros eum semper aestimabo, qui amicos quam plurimos potuerit sibi jure merito gratulari.

Enimvero quibus rebus non abundat, aut quibus tandem egere potest ille, qui sinceram amicorum multitudinem comparavit? Liceat mihi compellere aliquem eorum de numero, qui quanto superiorem dignitatis gradum adepti sunt, tanto diligentiores in demerendis amicis operam posuere. Age, quid times, qui fideles amicos habes, ut sic loquar, ad manum? an aerarii penuriam? at amicorum opes tuae sunt. An pericula? at illi continuo praesto sunt, tuum vel capitis discrimine parati latus defendere. An ad versus fortunae cessantis ictus? at fortunam adversam vix sentit, cujus acerbitatem amici mulcere possunt. Tu vero, qui amicos negligis; qui.... paene dixi, amicum habes praeter te neminem, noli iactare nobis insolentius vel ipsas Arabum gazas, quibus, si quis casus ingruerit, si quod inciderit periculum gravius, neque ad arcendam, neque ad mitigandam calamitatem amicis destitutus uti feliciter possis.

Atque hoc noverat certe sapientissimus rerum aestimator Alexander

F 3 Ma-

Magnus, qui se non tam Orientis pœne totius spoliis beatum ac divitem, quam amicis suis semper reputavit. Venerant ad eum aliquando Legati Persarum, quos non minus divitiarum ipsius fama, quam rerum ab eo gestarum gloria excitaret. In perfecta legatione, cum flagitassent ab Alexandro curiosius, suos ut ipsis thesauros atque opes ostenderet; quid putatis fecisse Principem sapientissimum? An reclusit arcas auri argentique ponderè referas? an ostentavit aulae suae magnificentiam? an aurata palatia, pretiosam supellectilem, tot erepta devictis à se Regibus spolia, tot Provinciarum manubias, tot exuvias Asiae perdomitæ, quibus castra & armamentaria redundabant, ambitiosius jactavit? Sed quid fecissent alii Reges ac Principes in æstimandis rebus minus periti, & inani rerum suarum pompa inflati plus æquo ac superbi? Nihil hujusmodi expectate ab Alexandro; habebat pretiosius aliquid, quod & sibi lubentius gratularetur, & aliis jactantius ostentaret. Tunc enim expectantibus avidè Persarum Legatis, unde curiosos oculos pascerent, circumspiciens Alexander quamplurimos, qui stipabant latus, suos familiares, & Legatos amicè compellans, En, inquit, opes Alexandri. O vocem auream! ò responsum Literis omnibus ac monumentis prædicandum! ò dignam tali Principe, dignam omnibus, qui populis imperant, commendationem!

Quis enim verò neget haberi in amicorum benevolentia divitias, quas neque fortunæ mutabilitas unquam adimat, neque ipsa rerum humanarum inconstantia labefactet?

Sustentatio.

Emphasis.

## ALIA EXERCITATIO.

Per easdem Figuras.

*Orator popularis.*

## S Y N O P S I S .

*Exord.* **D**icet, quantopere Oratori sit elaborandum, ut se ad populi caprum gustumque accommodet.

Rationem asseret; quia nihil est tam amans libertatis, & necessitatis inimicum, quam ingenium multitudinis.

Confirmatio petetur ab exemplo Demosthenis, qui gravibus de rebus cum diceret aliquando apud Athenienses; sensissetque populi otiositatis fastidium, fabulam inceptavit de umbra Asini: idque tractabit per Sustentationem, an? &c.

Concludet per Emphasim, umbram Asini præferendo cuilibet rationi speciosissimæ; siquidem illa perfecit Demosthenes, ut attentum rebus suis Populum redderet.

## O R A T I O .

Cum is debet esse propositus optimo cuique Oratori finis, ut eorum, apud quos agit, animos ac voluntates quamcumque voluerit in partem flectat & inclinet; tum certè operam in ea re suam benè collocatam æstimabit, si eorundem mentes sensusque, priusquam ad dicendum accedat, diligenter degustarit.

Nam qui rem averfam à multitudine per fas & nefas facere acceptam, quia se in ea amavit plusculum, suscipiat, is ignorare videatur, quam sit amans suæque retinens libertatis multitudinis ingenium, quam inimicum cujuscumque necessitatis.

Quare non committet unquam Orator bonus, ut quidquam in vulgus efferat, quod non sit auribus Populi accommodatum; sed ita temperabit omnia,

omnia, ut, quidquid dicturus est, non tam ex aurificis statera, quam populari quadam in trutina examinet.

Demosthenes Orator ille percelebris, & Eloquentiæ Atticæ facile princeps, cum aliquando diceret ad Athenienses, remque magni, ut videbatur, ponderis, ea, qua valebat, dicendi vi persuadere niteretur; vidit non audiri se tam attentè, quam par erat, & otiositatis languescensque populi sensit fastidium. Hic verò quod putatis inisse consilium Demosthenem? qua ratione medendum censuit multitudinis tædio peritissimus ille dicendi vir? An iniecit est acriter in populum levem, & infanientem indormiscentis fœcordiam objurgavit? at risissent omnes intemptivum objurgatorem. An orationem persecutus suæ populum somnolentiæ permisit? at quid orando longius profecisset? An relicto suggestu fastidiosam multitudinem dimisit? at illusus ab eadem fuisset ac contemptus. Quid ergo fecit Orator præstantissimus? cogitate aliquid dignum illius industria, qui se hominum ingenii ac rationibus accommodare noverat: expectate quidpiam, quod exercitatum in tractandis hominum animis dexteritatem redoleret. Præstabilis duxit Orator ille summus desperare ad tempus, ut se loquar, cum multitudine, cum assequeretur quod veller, quam si sapuisset intemptivè. Quare abjicit continuo materiam, quam tractabat, & conversa penitus oratione lepidam de Asini Umbra fabulam inceptat.

Sustentatio.

Ecce expergiscitur statim populus, & excusso omnes torpore; quasi novæ ac recentes ad audiendum Oratorum accedunt. Dissipatam aliò mentem occupat attentio, studium languorem excipit, & tædio succedit

hilaritas. Tum verò suspensis omnium animis & fabulæ exitum avidè expectantibus, quid fecisse rursus, putatis Demosthenem? An sua in populum indulgentia demereri cum aggressus est? an fabulæ finem curiosè quærentibus liberaliter satisfecit? an quidpiam ingeniosè commentus est, quo inceptam fabulam concluderet? Imò substitit medio in sermone Orator egregius, & objurgata populi levitate, qui rebus gravissimis indormisceret, dum evigilaret in nugis, ita inclinavit omnium voluntates, ut non modò languescentem excitaret, sed etiam, quod erat meditatus primum, persuaderet. Sic, obsequendo in speciem multitudinis ingenio, id consecutus demum est, quod nullis fortè rationum momentis perfecisset.

Sustentatio.

O felicem, & ratione quacumque Umbram Asini potiorem!

Emphasis.

## ARTICULUS VI.

*De Prætermissione, Distributione, Licentia, Concessione.*

Quid est Prætermissio?

R. Est Figura, qua Orator id maxime dicit, quod dicere nolle se fingit. Hæc autem Figura etiam tam ad laudem quam ad vituperium valet, tamen ea sæpius utitur Cicero ad objurgandum, quam ad laudandum. Utitur ad increpandum Prætermissione de Proc. Conf. n. 8. *Nihil dico nunc P.C. hominem ipsum relinquo. Itaque omnia illa, quæ & sæpe audistis, & tenetis animis, etiam si non audiat, prætermitto. Nihil de hac ejus urbana, quam ille præfens in oculis vestris mentibusque defixit, audacia loquor: nihil de superbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate disputo. Lateant libidines ejus illa tenebricose, quas fronte*

et supercilio, non pudore et temperantia contegebat; de Provincia quod agitur, id disputo.

3. Ver. n. 32. & 33. Itaque primum actum istius vite turpissimum et flagitiosissimum pratermittam. Nihil a me de sua pueritia flagitiis audiet; nihil ex illa impura adolescentia sua, qua qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. Omnia prateribo qua mihi turpia dicta videntur. Neque solum, quid istum audire, verum etiam, quid me deceat dicere, considerabo. Vos, queso, date hoc, et concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim. Omne illud tempus, quod fuit, antequam iste ad Magistratus Remque publicam accessit, habeat per me solutum ac liberum. Si leatur de nocturnis eius Bacchationibus ac vigiliis; lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat; damna, dedecora, qua res patris eius, atas ipsius pertulit, praterantur. Lucretur indicia veteris infamiae: paratur eius vita reliqua, &c.

Habes alia hujus Figuræ exempla 1. Ver. n. 26. 29. 2. Ver. n. 14. 3. Ver. n. 75. 128. 4. Ver. n. 110. 5. Ver. n. 59. 103. 106. 6. Ver. n. 37. 48. 2. in Rul. n. 21. Pro Flacco n. 79. post Red. in Sen. n. 22. in Vat. n. 11. De Prov. Conf. n. 6. in Pisonem 38. 87. 2. Phil. n. 47.

Utitur aliquando Tullius Pratermissione ad laudandum. Pro Sextio n. 7. Possum multa dicere de liberalitate, de domesticis officiis, de Tribunatu militari, de Provinciali in eo Magistratu abstinentia; sed mihi ante oculos obversatur Reipublice dignitas, que me ad se se rapit; hac minoram relinquere hortatur.

Et pro Rosc. Amer. n. 75. Qua in re pratero illud, quod mihi maximo argumento ad ejus innocentiam pote-

rat esse, in rusticis moribus, in vita arido, in hac horrida incultraque vita istiusmodi maleficia gigni non solere. Ut non omnem frugem, neque omnem arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni vita nascitur. In urbe luxuriant creatur; ex luxuria existat avaritia necesse est; ex avaritia exumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. Vita autem hac rustica, quam tu agrestem vocas, parsimonia, diligentia, justitia magistra est. Verum hac missa facio.

Item 1. Ver. num. 36. pro Flacco num. 103.

Sunt autem illæ ex Tullio formulæ, quibus hæc Figura exponi solet. Pratero, non dico, non commemoro, non hic profero, non audietis a me, non attingam. Sinite me hoc loco praterire, possem multa dicere, sentio mihi esse moderandum, jam Orationi meæ fugiendam fatietatem vestram. Non versabor in uno genere. Hic nolite expectare; sed quid ea commemoro? Nunc agam modicè, nec longius progrediat, &c. & similes.

Quid est Distributio?

R. Est Figura, qua Orator dividit aliquid in partes suas, ita ut partes singulas acervatim semel propositas statim resumat, & quod cuique parti convenit, subjiat.

Pro Lege Man. n. 28. Ego enim scio existimo in summo Imperatore quatuor has inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit, aut esse debuit, &c. Singulis hujus Distributionis membris suas rationes subjiat, quibus probat, quatuor illas magni Imperatoris virtutes in Pompejo adfuisse.

Et pro Cælio n. 2. Sed ego Atratinum humanissimo atque optimo Adole-

scenti, meo necessario ignosco, qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel ætatis. Si voluit excusare, pietati tribuo: si iustus est, necessitati: si speravit aliquid, pueritia.

Pro Quinctio n. 1. Quæ res in civitate dua plurimum possunt, ea contra nos ambe faciunt hoc tempore. Summa gratia, et eloquentia; quarum alteram C. Aquili, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortensii ne me dicendo impediatur, nonnihil commoveor; gratia Sex. Nevii ne P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimesco.

Habes alia hujus Figuræ exempla illustria pro eodem Quinctio n. 26. pro Rosc. Amer. n. 9. 35. 72. 86. pro Muræna n. 88. de Prov. Conf. n. 43. in Pis. n. 64. pro Marcello n. 7. pro Dejot. n. 15.

Interdum ita Distributio fit, ut Orationis membra inter se solum dividantur, neque subjiatur quidquam, quod ipsis respondeat. Sit in exemplum designatus jam Numerus 7. pro Marcello. At verò hujus glorie, Casar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Praefectus, nihil Cohors, nihil turma decerpit; quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna in illius se societatem gloria non offert, &c.

Quid est Licentia?

R. Est Figura, qua Orator pro jure suo dicit aliquid audacius apud eos, quos vereri ac metuere debet.

Pro Sylla n. 33. Attende jam, Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem Consulatus tui. Maxima voce, ut omnes exaudire possent, dico, semperque dicam; adeste omnes animis, qui adestis corporibus, quo-

rum ego frequentia magnoperè lator; erigite mentes auresque vestras, et me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Ego Consul, cum exercitus perditorum civium clandestino scelere conflatus crudelissimum et luctuosissimum patriæ exitium comparasset, &c.

Item n. 46. & 47. ejusdem Orationis, egregium habes exemplum Licentiæ, qua libertatem et audaciam Cicero præ se fert.

Usurpatur hæc Figura ad ostendam fiduciam 1. in Rull. n. 23. Errastis, Rulle, vehementer, et tu et Collega tuus, qui sperastis vos contra Consulem veritate, non ostentatione popularem posse in evertenda Republica populares existimari. Lacesso vos, in concionem voco, Populo Rom. disceptatore uti volo.

Valet ad insultandum adversario. Pro Domo sua n. 99. Quare Rempublica dirumpatur licet ista furia (Clodium intelligit) atque audiat hoc ex me, quoniam lacecessit, bis servavi, et cum Consul rogatus armatos vici, et civem privatus armatis cessi. Utriusque temporis fructum tui maximum; superioris, quod ex Senatus auctoritate, et Senatum, et omnes bonos mea salutis causa mutata veste vidi; posterioris, quod et Senatus et Populus Rom. et omnes mortales et privatim et publice judicaverunt sine meo reditu Rempublice salvam esse non posse.

Ad objurgandum etiam utilis est. Pro Mil. n. 33. An verò Judices solli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini? vestra peregrinantur aures; neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges nominanda sunt, ac non faces urbis et pestes Reip.) fuerit imposturus nobis omnibus atque inustus? Exhibe, queso, Sexto Clodii, exhibe librarium illud legum

vestrarum, quod te ajunt eripuisse e domo & ex medijs armis, turbaque nocturna, tanquam Palladium sustulisse: ut praclarum inde munus ac instrumentum Tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui arbitrio tuo Tribunatum gereret, deferre posses. Et aspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen Curia. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cujus tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare, &c.

Item 7. Ver. num. 153. Phil. 10. num. 8. & 19.

Interdum assentationi deservit, ut pro Marc. n. 26. Itaque illam tuam praclarissimam & sapientissimam vocem invitus audivi, satis te diu vel natura vixisse vel glorie; satis, si ita vis, natura fortasse, addo etiam, si placet, glorie; at quod maximum est, patriae certe parum. Quare, omitte, quaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli periculo nostro sapiens esse: saepe enim venit ad aures meas, te istud nimis crebro dicere satis te tibi vixisse: Credo: sed tum id audierem, si tibi soli viveres, aut si etiam soli natus esses. Nunc, cum omnium salutem civium cunctamque Remp. res tuae gesta complexa sint, tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, que cogitas, nondum jeceris.

Quid est Concessio?

R. Est Figura, qua Orator aliquid etiam iniquum, fiducia causa: facta adversario videtur concedere. Est autem Concessio illa vel seria, cum parte aliqua concessa, sperat Orator se in reliquis fore superiorem, vel ironica, cum res concessa invidiam constare potest adversario.

Prioris exemplum habes, pro Quinctio n. 56. Hac ille si verbis non audet, re quidem verapalam loquitur. Etenim si vult bonorum virorum instituto vivere, multa discat oportet, atque dediscat, quorum illi atati utrumque difficile est. Non dubitavi, inquit, cum vadimonium desertum esset, bona proscribere. Improbe: verum quoniam tu id tibi arrogas & concedi postulas, concedamus.

Et pro Rosc. Amer. n. 73. Utrum, quid agatur, non vides? aut apud quos agatur? Agitur de parricidio, quod sine multis causis suscipi non potest. Apud homines autem prudentissimos agitur, qui intelligunt neminem, ne minimum quidem maleficium sine causa admittere. Esto: causam proferre non potes, tamen si vicisse debeo; de meo jure decedam, & tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quero abs te quare patrem Sex. Roscius occiderit, quero quomodo occiderit.

Item 5. Ver. n. 28. 219. 7. Ver. n. 4. pro Domo sua n. 43. pro Murræna n. 41.

Ironica Concessionis exempla habes 4. Ver. n. 46. Qua est ista Prætura? Eripis hereditatem, que venerat a propinquo, venerat testamento, venerat legibus; cujus hereditatis, cum ille aliquanto ante te Prætorum esset mortuus, controversia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo? Verum esto: eripe hereditatem propinquis, da palestritis, prædare in bonis alienis nomine civitatis; verte leges, testamenta, voluntates mortuorum, iura vivorum: num etiam Heraclium bonis privari oportuit.

Et 5. Ver. n. 16. Qua in re illud primum reprehendo & accuso, cur in re tam veteri, tam usitata novi aliquid feceris, ingenio aliquid affectus es? tot homines sapien-

tiss-

tissimos, qui illam Provinciam ante te tenuerunt, prudentia consilioque vixisti? Est tuum, est ingenii prudentiaque tua. Do hoc tibi & concedo: scio te, Romam cum Prætor esses, edito tuo possessiones hereditatum a liberis ad alienos, a primis heredibus ad secundos, a legibus ad libidinem transtulisse. Scio te edita Superiorum omnium correxisse & possessiones hereditatum, non secundum eos, qui proferrent, sed secundum eos, qui dicerent testamentum factum, dedisse; easque res novas a te prolatas & inventas magno questui tibi fuisse scio.

Item 8. 4. Ver. n. 150.

Delectat autem in primis Concessio, cum id, quod conceditur, adversario nocet. Ut pro Ligario n. 2. Habes igitur Tubero, quod est actori maxime optandum, confitentem reum: sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de delicto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

Habet etiam multam gratiam hæc Figura, cum id adversario conceditur, quod negari non potest, ut alia meliora & majoris momenti subjiciantur. Ut pro Flacco n. 9. Hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo illis literas, de multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; denique etiam si qua sumunt alia, non repugno. Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit; totiusque hujusce rei, que sit vis, que auctoritas, quod pondus, ignorant.

Sunt autem illa, quibus Figuram illam Tullius adhibet, formule. Esto. Verum fac: verum esto: patior non movebit. Ut tibi concedam.

Sed ierit ad bellum, &c. sit ita sane, sed hinc sint parva omnia. Hoc do tibi & concedo. Tamen de meo jure cedam. Ita fac, &c.

### EXERCITATIO.

Marcus Attilius Regulus ad Senatuum Romanum de non permutandis Captivis.

Per Licentiam, Prætermissionem, Distributionem, Concessionem.

### SYNOPSIS.

Exord. & Prop. **F**ient per Licentiam, dicetque non vereri se arguere nimiam quorundam hominum in se commiserationem.

Rationem afferet per Distributionem, quia illa commiseratio indigna est viris gravissimis, periculosa Reipub. sibi ipsi injuriosa.

Primam partem probabit per Licentiam, admonendo plus ipsos consulere debere pietati, quam inutili pietati.

Secundam partem probabit; quia nihil est Reip. perniciosius, quam si redimantur illi cives, qui dedere se hostibus, quam fortiter in acie mori maluerunt. Quod tractabit per Prætermissionem. Liceat mihi prætere silentio quæ vidi, &c. Diceretque vidisse se vexilla Romana affixa delubris Carthaginiensium, Romanos indignis aut nullis vulneribus saucios, &c.

Tertiam probabit partem, & ostendet pietatem ipsorum arguere in ipso paratum minus ad ferenda quælibet adversa animus; Mox per Concessionem; at carebitis Romanis civibus; Esto: at, &c. ac gravissima mihi intencantur supplicia. Sit ita sane, &c.

Concludet dicendo certum sibi esse redire Carthaginem; nec passurum se, ut redimatur ipse, quidquid de alijs statuatur.

### ORATIO.

Quis ille, Patres Conscripti, qui singulorum frontem obaubit dolor? quid illi micorem ac tristitiam spirant.

rantes oculi volunt? aut quem tandem ad finem universa omnium reclamatio meis auribus insonuit; cum retinendos in urbe Carthaginiensium milites, nostros verò furori hostium permittendos esse defendi?

*Licentia.* Equidem scio apud quos agam, P. C. revereor, ut par est, auctoritatem hujus Ordinis, & tot clarissimorum virorum suffragia maximi esse apud me ponderis ac momenti ultrò volensque profitebor. Tamen ubi vestra omnium dignitas, Reipub. salus, mea ipsius gloria vocantur in discrimen, non possum mihi temperare, quin palam & maxima qua possum voce, ita ut omnes exaudire possint, de vobis omnibus graviter exoptulem, & intempestivam illam, qua videmini me prosequi, commiserationem durius etiam coarguam.

*Distributio.* Nam quid alienum magis à dignitate vestra, quid Reip. saluti perniciosius, quid Marco Regulo magis injuriosum esse poterat, quam inutilis dolor, inanis gemitus, pietas mollior; ubi gravitas, constantia, & omni periculo superior magnitudo quædam animi requiritur?

*Licentia.* Alienum dico à dignitate vestra, P. C. Agite enim; an estis obliti quales sitis, & quibus hic partibus defungamini? Meministis in eo vos amplitudinis gradu esse constitutos, non ut imbelli pietatis sensu afflictorum miseras lugeatis, sed ut plena summæ gravitatis judicia exerceatis; An excidisset vobis è memoria esse vos heredes prisce illius severitatis, quæ tanta in hoc Imperio fuit, ut clarissimi Imperatores in filios suos atrocissimè interdum animadvertent, si tamen illud atrox, aut crudele videri potest, quod cum paucorum jactura universæ Reip. bono ac saluti conjunctum est?

Atque hinc mihi alia suboritur

objurgandæ commiserationis vestræ ratio, quæ dum redimendos esse ab hostium servitute Romanos videtur persuadere, funestissimam Reipub. perniciem importat. Quid enim opinione illa, cum ad fovendam militum nostrorum ignaviam, ac debilitandas ipsorum vires efficacius, tum ad excitandos hostium animos præsentius esse potest? Ubi hercule! in prælio paulò acrius ex adverso pugnabitur, plena fugientibus castra atque hostibus se se dedentibus videbitis; malent tradere se servituti turpiter, quam honestæ vitæ finem consequi. Quam porro spem in illis deinceps habebitis, quos putatis esse redimendos? Redibit nimirum redemptus auro miles ad pugnandum paratior, qui pacem ac vitam petendam ab hoste censuit prius, quam fortiter occumbere? resumer virtutem pristinam, qui se ab eâ degenerem aliquando præstitit? invadet hostem acriter, & cum eò strenuè pugnabit, cujus olim jugum ac vincula expertus est?

Hic verò finite me, P. C. æterno præterire silentio illatam nomini Romano labem, & nullo eluendam piaculo ignominiam. Hoc indulgere dolori meo, ut obductas malè cicatrices non refricem, dum repeto memoriam tristissimi illius spectaculi, quod ego vidi his oculis, atque utinam videre nunquam licuisset? Non dicam spectasse me ad sempiternum hujus Imperii dedecus affixas Carthaginiensium delubris victrices illas aquilas, quarum vel aspectus hostibus nostris metum ac terrorem incurrit. Tacebo direpta Romanis Civibus vexilla, quæ templorum tholis suspensa impunè volitant, non lacera, non infecta cæde ac sanguine, sed integra, sed ultrò permissa. Non referam plena spoliis nostris armentaria, & auctum est Roma-

no.

*Præmissio.*

norum manubiis Carthaginiensium ætarium! Silebo, nam refugit animus meminisse, silebo, inquam, cives nostros ac milites, quorum præcipua laus ac gloria libertas esse debuisse, fervorum instar onustos vinculis, & retortis post tergum manibus infami jugo depressos. Non dico vacua vulneribus omnium pœnè corpora, aut, quod longè turpissimum est, indignis ac pudendis plagis inusta. Nolite igitur P. C. de redimendis hujusmodi militibus cogitare, quorum salus multò majorem Reip. perniciem, quam ipsa clades ac jactura allatura sit. Absit à vestris animis tam perniciofa Reip. nostræ commiseratio, quam si mea causa suscepistis, rogo vos, ut eandem deinceps, nisi jam infelici Reguli vos piget, deponatis.

Hoc enim saltem mereri possim à vobis, ut satis animi censeatis esse in Regulo ad perferendum fortiter, quidquid in me durius fortuna statuerit. Neque vero audientes putetis illos, qui me deditionis turpissimæ infamia liberant, & illius consilii auctorem non fuisse profitentur. Certè, si quid in ea re ignominie est, cui potius, quam Imperatori tribuendum?

Nihil hic purgandum apud vos sum, P. C. nec quidquam derivandi criminis gratia dicam. Utinamque gesta res est, nequaquam me ab eorum causa segregabo, nec turpis facti auctoritatem defugiam. Ero igitur in hostium potestate atque arbitrio, quominus id molestè ferant, meoque exitio patriæ dedecus abolebo. Discant exemplo nostro Romani milites, nullum in acie, præterquam in virtute atque manibus, esse perfugium. Documento erimus generi humano, pugnantis Romanis aut victoriam aut necem esse propositam, mediam inter

eas fugam nunquam nisi hostibus patere.

At enim carebitis Romanis illis Civibus, quos in vinculis Pœni detinent? Nam video occurrendum esse illorum pietati, quos hæc jactura moveat, carebitis, inquam, illis Civibus? Esto; at retinebitis apud vos partem maximam nobilissimæ ac florentissimæ Juventutis, quibus non tam est patriæ, quam illorum in patria desiderium; quorum maximè gratia Legatio ista suscepta est, quorum jactura magna sit Carthaginiensibus virium & animorum decessio. Gravissima nobis supplicia præparantur? nihil moror, at illarum Romano nomini opprobrium licebit eluere. Mortem non effugiemus? at mori gloriose præstat, quam turpiter vivere.

Quantum si doletis gravius jacturam tam levem, P. C. statuere de cæteris, ut placuerit, per me licet, redimite, quando sic libitum est, ignavos milites, qui plus nocere nobis, quam prodesse possunt. Effundite opes vestras, exhaurite ætarium, flagitio flagitium addite, ut belli nervis destituti necessariis ad dubia Reipub. tempora præsidiis careatis. Remittite Carthaginiensibus præcipuum totius exercitus robur, exercitatum militari disciplina juventutem, ut jam jam majori numero reparatisque viribus vobis ingruant. Mibi in patria manere nulla conditione certum est, atque decretum, nec, ut reliquos maxime redimendos censueritis, quemquam mecum de Carthaginiensibus captivis permutabitis.

*Cöcessio.*

*Cöcessio Ironica.*

ALTA

## ALIA EXERCITATIO.

Per eandem Figuras.

Marcus Tullius Cicero ad Senat-  
um, ut peracta in Lentulo, Ce-  
thego, aliisque Conjuratiōis Ca-  
tilinariae sociis cædis invidiam  
amoliatur.

## S Y N O P S I S .

Exord. & Propositio fiet per Licentiam.  
Dicit Cicero non venire se, ut pe-  
ractæ cædis suspitionem amoliatur à se,  
qua Romanus quislibet gloriari debeat.

Rationem afferet per Distributionem,  
quia cædes illa fuit iusta, necessaria &  
utilis. Ex triplici illo capite eruetur Con-  
firmatio.

1. Iustam illam cædem fuisse probabit  
enumeratione illarum rerum, quas Catili-  
næ socii cum Catilina moliebantur in  
Reip. perniciem: recensebitque exordium  
urbis, bonorum occisionem, ruinam to-  
tius Italiae, idque tractabit per Præter-  
missionem, petendo à Iudicibus, ut ab  
ejusmodi rebus commemorandis abstinere  
liceat.

2. Necessariam fuisse demonstrabit; quia  
etiam sublato Catilina, erat timendi lo-  
cus, ne conjuratio redintegraretur, si su-  
persuissent Catilinae socii. Hoc tractabit  
per Concessionem. Esto dederit Catili-  
næ poenas temeritati suæ pares, dissipata,  
extincta conjuratio videri poterit.  
At, &c.

3. Demonstrabit fuisse utilem, ab ea  
tranquillitate, qua gaudebat civitas, ex  
quo conjurati poenas dederant; deinde  
ex publica omnium Ordinum gratulatio-  
ne, quam sibi deceverant pro servata  
patria.

Concludet admonendo eos qui nimis do-  
lerent de interfectis conjuratis, ne veniant  
ea demonstratione in suspitionem neces-  
situdinis alicujus cum Conjuratis.

## O R A T I O .

Esti novi unus omnium optimè,  
P. C. quàm graviter apud vos de me  
expostulaverint, qui Lentulum ac  
Cethegum reliquosque pestiferæ con-

juratiōis socios dignas temeritate  
sua dedisse poenas affiguntur; nolite  
tamen existimare venisse me ho-  
die in hunc celeberrimum confes-  
sum vestrum, vel ut amoliri à me  
peractæ cædis suspitionem, vel ad-  
hibitam in nefarios cives severitatem  
conarer excusare.

Est enim hujusmodi factum illud,  
quod auctoritate mea patrum esse  
profiteor, & ita profiteor, ut à vo-  
bis omnibus qui hic adestis, quo-  
rum & frequentia maximè lætor,  
exaudiri velim; ut non modò Con-  
sul, qualem esse me benevolentia  
vestra voluistis, sed etiam Civis  
Romanus quilibet sincero patriæ stu-  
dio succensus eo debeat gloriari.

Nam quis, amabo vos, P. C. nisi  
quam habuerit ille cum apertis Reip.  
hostibus societatem, aut ejusdem  
hodie etiam restincto jam incendio  
perniciem meditetur, qui sublato  
cruenta morte cives eos doleat, quo-  
rum damnatio tam iusta, tam neces-  
saria, tam utilis Reip. totique adeo  
Italiae videri debuit? Agite; quàm  
severè, quàm duriter animadverti in  
eos oportebat, qui unumquemque  
nostrum fatali exitio destinabant?  
An decuit ullam imperitii miseri-  
cordiæ partem iis, qui neminem ab  
sua crudelitate atque savitia immu-  
nem volebant? an æquum erat eo-  
rum quemquam esse diutius in vi-  
ta superstitem, qui Reip. nullam  
esse ac funditus interire decrevis-  
sent?

Hic verò finite me, P. C. præte-  
rire funestissimam conjuratiōis il-  
lius memoriam, quam meis consi-  
liis, meis laboribus, mei capitis pe-  
riculo, sine multitudine, sine dele-  
ctu, sine armis, sine tumultu, à  
vestris omnium cervicibus depulsam  
fuisse mihi vosmetipsi gratulati estis.  
Vel ipsa periculorum, quæ defugi-  
mus, recordatio me angit atque ex-

Licentia.

Distribu-  
tio.Præter-  
missio.

CEL-

cruciat mirum in modum; quoties  
recogito mecum tacitus, eò prorup-  
tissime quorundam hominum impro-  
bitatem, ut incensioni urbem, in-  
ternecioni cives, Italiam vastitati de-  
stinassent: cum redit in mentem vix  
unius noctis spatium abfuisse, quin  
perditi ac scelerati cives vitam om-  
nium, statum orbis terrarum, ur-  
bem hanc denique nostrum omnium  
sedem, arcem Regum ac Nationum  
exterarum, lumen Gentium, domi-  
cilium Imperii perderent ac labefa-  
ctarent.

Et erit aliquis tam inimicus huic  
urbi, tam alienus à salute civium,  
tam parum cupidus Romanæ nomi-  
nis, ut eos sublato de medio do-  
leat, qui nisi communi omnium exi-  
tio vitam trahere ulterius non po-  
tuisset? Majores nostri Gracchum  
utrumque, Tiberium & Cajum,  
Spurium Melium, Saturninum &  
alia civitatis hujus clarissima lumi-  
na merita multatos morte judica-  
runt, quod studere novis rebus, &  
nimiam in libera civitate potestatem  
affectare viderentur; nos patiemur  
iniquo animo pestiferæ conjuratiōis  
socios interiisse, qui Reip. totam  
possundate mollebantur.

Atenim video, quid objiciant ho-  
mines mansueti placè ac misericor-  
des. Dissipata, inquit, conjura-  
tiōe, extincto penitus, quod immi-  
nebat, funesti belli incendio, ex-  
lante longius Catilina quid erat de-  
inceps metuendum huic urbi? cur in  
clarissimos Cives tam inhumaniter  
savitum est? Quæ tua, Marce Tul-  
li, tanta, tam incredibilis sanguinis  
humani stris, ut medio pacis in si-  
nu tristissimam carnificinam exerce-  
res? an videbatur aliquid deesse glo-  
riæ tuæ, nisi tot illustrissimas civi-  
tatis hujus familias luctu ac mæro-  
re perderes?

Sit ita sanè, P. C. id vigilantia

nostra & Consulari auctoritate con-  
secuti simus, ut imminetentem pa-  
trix, civitati, Reip. perniciem aver-  
teremus; dissipata, extincta, si vul-  
tis conjuratio sit; poenas dederit,  
dignas scelere, dignas furore suo ne-  
quissimus post homines natos Catilina.  
Tamen putatis nihil fuisse quod  
pertimesceremus, nisi socii pariter  
funestæ conjuratiōis concidissent;  
inertes illi scilicet ac lenti quievif-  
sent à flagitio? non tetendissent no-  
vas Reip. insidias? non collegissent  
vires? non consopitam malè incen-  
dium suscitassent? non spirantem ad-  
huc & anhelantem scelus Catilinae  
per fas ac nefas intra urbis hujus  
mœnia revocassent? Sic vobis notus  
animus, sic nota perditorum homi-  
num indoles fuit? Non ignorabam  
ego, P. C. quales essent, non illu-  
ferant mihi, non fecerant fucum.  
Vidi quid vellent, quod tenderent,  
quid meditarentur; non quievissent  
illi, mihi credite, non abstinuis-  
sent à scelere, donec Reip. penitus ever-  
tissent. Hinc intelligite, P. C. quan-  
ti momenti fuerit, ut cives perdi-  
ti quasi putrida totidem membra  
à reliquo Reip. corpore rescinde-  
rentur.

At quantus hinc fructus, quanta  
ad omnes utilitas pervenit! Quis est  
in hac amplissima civitate, qui res-  
pirare tandem, & post longos gra-  
vesque metus securum esse se posse  
non æstimavit? Quis gravissimis pe-  
riculose tempestatis fluctibus defun-  
ctus, beatum tranquillæ pacis atti-  
gisse portum sibi non visus est? Est  
aliquis adhuc tam timidus, tam pro-  
cella metuens, qui sublatis de me-  
dio conjuratiōis funestæ reliquiis,  
bona, fortunas, domum, liberos,  
conjugem seque ipsum veluti è com-  
muni naufragio ereptum fuisse non  
arbitretur? Ut immutata paucis ab  
hinc diebus hujus urbis facies, ut

Cœcessio.

pa-